



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XVII. Vtrùm Deus ex sua liberalitate tribuat aliquod augmentum præmii ultra meritum condignum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nam per gratiam habitualem tota operis congruitas elevatur ad condignitatem in eo gradu excellentiæ, in quo superat aliud opus; quod etiam in simili diximus convenire continuationi, & majori difficultati operis, quæ à gratia habituali divisa non addunt condignitatem, sed congruitatem; ergo idem dicendum de majori congruitate operum, quam ex dignitate Matris Dei nanciscuntur.

SECTIO XVII.

Utrum Deus ex sua liberalitate tribuat aliquod augmentum præmii ultra meritum condignum?

421. **C**OMMUNE axioma est inter Theologos: *Deus præmiat ultra condignum, & punit citra condignum*: cuius occasione excitatur à Theologis præfens difficultas, nempe: Utrum Deus ex mera sua liberalitate tribuat aliquem gradum gratiæ, & gloriæ in patriâ præter illos, qui respondent meritis acquisitis in via?

422. Negativa resolutio tenenda est cum probabiliori sententia, quam tenent *P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 31. num. 4. P. Arriaga tomo 4. d. 56. sect. 7.* & alii apud illos. Probat, quia neque in Scripturis, neque in Conciliis, neque in Sanctis Patribus habemus fundamentum ad affirmandum oppositum, imò frequentissimè dicitur, Deum remuneratum esse omnes secundum uniuscujusque opera, ut constat ex pluribus locis supra citatis tum Scripturæ, tum Conciliorum, tum Patrum, ex quibus aperte colligitur exclusiva, nempe non dari ullum præmium ultra meritum; siquidem quando Scriptura aliquam doctrinam tradit, & semper eodem modo loquitur, contrariam solet excludere, licet illam expressè non neget; sic enim dum asserit Verbum Divinum fuisse incarnatum, dum dicit *Joan. 1. Verbum Caro factum est*: alias Personas excludit, licet id expressè non neget; ergo &c.

423. Confirmatur, quia ut supra diximus, & infra dicemus, nos credimus, totum augmentum gratiæ, quod quis promeretur in hac vita, statim ei dari, & si quod fortè peccando amisit, cum reviviscit, statim restitui; ergo absolutè dicendum est, non posse cum fundamento affirmari in ingressu patriæ aliquos gradus intentionis gratiæ gratis superaddi sive omnibus, sive aliquibus Beatis; ergo neque aliquos gradus gloriæ, utpotè quæ debet gratiæ commensurari. Advertes tamen, nos non negare plures esse in patriâ, qui per propria merita in viâ acquisita gloriam non recipiunt, sed solum ob Christi merita sibi in Sacramentis applicata, addimus tamen adhuc istis dari gloriam juxta mensuram gratiæ, quam in via habuerunt per illam applicationem meritorum Christi in Sacramentis.

424. Oppositam sententiam valdè piam tenent *Magist. in 4. dist. 46. D. Thom. 1. part. quest. 21. art. 4. ad 1. & in 4. dist. 46. q. 2. art. 2. D. Bonavent. ibid. art. 2. quest. 2. Richard. art. 2. quest. 3. Scot. quest. 4. art. 4. & in 1. dist. 17. post quest. 3. ad 1. vers. Respondeo in hoc. P. Vasq. 1. 2. d. 225. cap. 4. & alii, pro quibus: Argues 1. *Luc. 6. ait Christus Dominus donari nobis in patriâ Mensuram bonam, confertam, & coagulatam, & superestantem*: quod videtur significare, donari nobis mensuram gloriæ super-*

abundantem meritis. Et *Luc. 19. & Matt. 25. post servus fidelis donatus, & remuneratus fuit secundum sua merita, accepit ex mera liberalitate Patris familias, nempe Dei, Mnam unam ablatam servo infideli, quod videtur significare, Deum aliquid daturum in patriâ ultra propria cujusque merita. Et hoc idem ostenditur in parabola vineæ, ubi multis datus fuit denarius diurnus integer, cum tamen non laborarent per integrum diem, quod mera liberalitati Dei tribuendum est, ut colligitur ex verbis Patris familias: *ibi: An non licet mihi, quod volo facere.**

Et confirmatur ex Bulla Pii V. & Greg. XIII. 425. in qua damnantur propositiones Michaelis Baii, inter quas 15. erat: *Opera bona iustorum non accipient in die judicii ampliores mercedem, quam iusto Dei judicio merentur accipere*; ergo si damnatur asserere ampliores mercedem iustos non accepturos, videtur definitum asserere ampliores mercedem accepturos.

426. Respondeo ex locis citatis non infirmari nostram sententiam: Ad primum enim locum dicimus, gloriam dici à Christo Domino mensuram bonam, &c. sicut etiam dicitur *Matt. 5. Merces copiosa*: non quod detur ultra meritum, sed, aut quia nimium excedit nostra merita in duratione, & perfectione entitativa, in quo etiam sensu dicitur *Rom. 8. 18. Non esse condignas passionibus hujus temporis, &c.* aut quia, cum in iusto præmio possit esse latitudo, ut supra diximus, reddet Deus fortasse præmium summum intra illam latitudinem, licet nihil conferat ultra condignitatem, & meritum recipientis. Ad secundum locum dicimus, Mnam illam, sive talentum non significare gloriam, sed gratiam actualem, quæ datur in hac vita, tanquam principium merendi, ut communiter exponunt Interpretes, & cum illis sentit *P. Soar. cit. num. 8.*

427. Ad tertium locum dicimus, idè datum fuisse integrum denarium illis, qui brevi tempore laborarunt, quia in eo tempore tantum laborarunt, & meruerunt, quantum alii per integrum diem, ut insinuavit idem Pater familias dum dixit: *Hinovissimi unâ horâ fecerunt, quia verò hæc differentia ex majori auxiliorum copia, & efficacia ortum habuit, quæ quidem à Deo sunt, idè Pater familias ex propria voluntate denarium, sive gloriam dedit. Ad confirmationem ex Autoritate illius Bullæ dicimus, illam non venisse ad rem, ut fatetur ipse P. Vasq. cit. siquidem nos loquimur de operibus supernaturalibus, & ex gratia factis; Baius verò asserbat, Deum non remuneratum opera secundum valorem, quem habent ex gratia, sed solum secundum valorem, quem habent ex se, sicque iustos non esse ampliores mercedem accepturos, quod est falsum, & damnatum, utpotè ad Pelagianismum accedens.*

428. Argues 2. Videtur decere magnificum Principem, & maximè liberalem, qualis est Deus, ut aliquid addat suis operariis ultra salariam, & præmium eis debitum pro suo servitio; ergo &c. Respondeo hanc rationem decentiæ, & congruentiæ, solum habere locum in humanis, ubi Princeps ante solutionem non exercet aliquam liberalitatem cum operariis, ut exercet Deus, qui omnia ipsa merita liberaliter eis concessit, quatenus liberaliter eis præstitit auxilia, quibus mediante talia merita acquisierunt; sicque opus non est, dare eis postea aliquid amplius nova liberalitate, licet possent, si vellet.

Argues 3. Ex verbis Christi Domini *Matth. 11. ubi*

ubi de D. Joanne Baptista sic ait. *Non surrexit major Joanne Baptista*: per quæ verba ostendit, nullum Sanctum esse majorem Joanne Baptista; addit tamen: *Qui autem minor est in regno celorum, major est illo*: undè infertur minimum Beatum, etiam infantem decedentem cum solo Baptismate, esse majorem Joanne; sed hoc non potest intelligi propter gratiam, quam ille Beatus habuit in via, ut videtur manifestum; ergo debet intelligi propter augmentum gloriæ à Deo liberaliter concessum ultra meritum. Respondeo negando consequentiam; Baptista enim dicitur major omnibus Sanctis legis veteris; minor autem minimo Beato, non quidem in gratia, sed ratione impeccabilitatis, aliarumque perfectionum provenientium ex Visione Beata, per quod nec leviter insignatur excessus ille gratiæ, & gloriæ datæ ultra meritum. Ita ex P. Maldonat. P. Arr. cit. num. 55.

430. Argues 4. Ex proloquio illo supra citato, & communi inter Patres, & Theologos, nempe: *Deus premiat ultra condignum, & punit citra condignum*; sed hujusmodi proloquium videtur fundari in eo, quod Deus remunerat ultra meritum, & aliquid nobis dat in patria ex sua merâ liberalitate; ergo &c. Respondeo negando minorem; illud enim proloquium in multiplici sensu explicatur à P. Soar. cit. à num. 12.

431. Primò, præmium illud dicitur ultra condignum, quia in meritis justorum, etiam prout à gratia procedunt, nulla est æqualitas, aut condigna proportio cum tali præmio, sed ex sola Dei ordinatione, & acceptatione redditur, ac si talis proportio interveniret. Ita Durand. Scot. & alii apud P. Soar. cit. Secundò, dicitur ultra condignum, factâ comparatione cum nostris operibus secundum se spectatis, ut sunt opera quædam humana, & libera, nam prout sic non habent condignitatem, & proportionem cum tali præmio, ut falsò, & erroneè intendebat Baius. Tertiò, factâ comparatione in esse rei, id est, quoad formales proprietates, quæ in gloria, & in operibus meritoriis inveniuntur; non tamen si in ratione præmii, & meriti comparentur.

432. Quartò, potest dici ultra condignum, sed intra latitudinem justitiæ, quatenus cum posset intra latitudinem illius præmii minori gloriâ, aut minori gratiæ augmento condignè remunerare nostra opera, voluit tamen mensuram bonam, & coagitatam, ac superfluentem illis promittere, intra latitudinem tamen justæ mensuræ. Quintò, dici præmiare ultra condignum, non quoad essentialia, id est, quoad augmentum gratiæ, aut gloriæ essentialis; sed quoad gloriâ accidentalem; siquidem Deus Beatis dat plura dona spectantia ad perfectionem sui status, quorum ratione potest simpliciter dici, Deum conferre præmium ultra condignum. Sextò, dici præmiare ultra condignum in modo se obligandi; siquidem cum posset omnia hominum obsequia tanquam sibi debita exigere, & recipere, nullo præmio pro illis dato, ultra condignum fuit velle se obligare ad reddendam pro illis præmium.

433. Argues 5. Ex Sanctis Patribus D. Greg. in Psal. 142. *Penitential. Illi enim beatæ vitæ, ait, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, cum Apostolus dicat: Non sunt condigne, &c.* Et infra: *Quia pro illis operibus datur, quæ sine præventu Misericordiæ Dei nemo assequitur.* Et D. Fulgent. ad Monim. lib. I. cap. 10. *Gratia autem, inquit, etiam ipsa non injustè dicitur, quia non solum donis suis Deus*

dona sua reddit, sed quia tantum etiam illi gratia divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter, atque ineffabiliter omne meritum excedat. Et D. Hilar. in Psal. 51. ad illud: *Melior est Misericordia tua super vitas: Quia, ait, quamvis probabilis per justitiæ operationes vitæ justorum sit, tamen per Misericordiam Dei plus meriti consequetur.* Et D. Basil. in Psal. 114. ad illud: *Convertere anima mea in requiem tuam: Manet, inquit, requies sempiterna illis, qui in hac vitæ legitime certarunt, non tanquam debitum operibus redditum, ob munificentissimam Dei gratiam, in quo speraverunt, exhibita.* Et D. Bern. serm. 1. de Annuntiat. *Neque, inquit, talia sunt hominum merita, ut propterea vitæ æterna debeat ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Et addit: *Nam, ut tacam, quod merita omnia dona Dei sunt, & ita homo propter ipsa magis Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam.* Et D. Chrylost. hom. 37. in Gen. dicit, *Deum immensam suam liberalitatem in eo nobis ostendere, quod vel minimis operibus provocatus nos absque morâ magnis donis remunerat.* Ex quibus videtur constare, Deum in remuneratione justorum præter gradus gloriæ eorum meritis respondentes de condigno, alios ex sua liberalitate superaddere; ergo &c.

Respondeo, Sanctos Patres proximè citatos nostram sententiam non infirmare, nam D. Greg. D. Fulgent. & D. Hilar. sine dubio locuti sunt in secundo, aut tertio sensu, in quo supra num. 431. diximus, intelligendum esse axioma illud, de quo etiam supra num. 430. Deindè D. Basil. locutum fuisse, non de retributione futura, sed de hujus vitæ providentia: aut si de justorum futura retributione, ultimum sensum à nobis expositum aperte indicat; siquidem dicit, præmium illud non reddi ut operibus debitum, utique ex virtute ipsorum operum, sed ex munificentissima Dei gratia, quæ liberalem promissionem tanti præmii sui gratiæ adjunxit, illa enim est munificentissima gratia. Præterea D. Bern. secundum, & sextum sensum simul videtur amplexus, ut in ultimis verbis declaravit. Tandem D. Chrylost. loco citato non tractat de remuneratione vitæ futuræ, sed de abundantia divini auxilii in hac vitæ, ut ex verbis ipsis manifestum est. Ita prædictos Patres explicat P. Soar. cit. à num. 17.

DISPUTATIO IV. De iis, quæ possunt cadere sub meritum de Condigno.

SECTIO I.

An, & quomodo prima gratia actualis possit cadere sub meritum?



ADVERTES primò, questionem non procedere de gratia actuali sub ratione gratiæ, & doni gratuiti; nam sub hac ratione indubitatum est, gratis dari, & absque merito juxta illud Rom. II. 6. *Si autem gratias, jam non ex operi bus,*